



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. XLVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

rum non ambigit; hoc est, omnes ætatis meæ annos in eandem perniciem attracturum, atque æternæ damnationis sententiæ subjecturum. quod si illi ex sententia ceciderit, quid me fiat? jam tot anni, tibi serviendo exacti, tot labores initi, tot pericula adita, tot penæ ad impetrandam peccatorum veniam à me ultro susceptæ, quod ad meam salutem attinet, in irritum recident, vel, me damnato, aliorum utilitati & commodo cedent. Obsecro, Domine, non feras, non patiaris, non finas.

C A P. XLVIII.

ITa igitur meus improbissimus hostis aggressus est oppugnare propositum meum: (quod non tibi narro, qui pugnae spectator aderas, ac mihi virtutem ex alto suppeditabas: sed Ecclesiæ sanctorum, quibus ad impetrandam peccatorum veniam deprecatoribus utor.) Erat mulier quædam vidua, cujus amore olim exarseram: hæc, sive benevolentia, ut ipsa præ se ferebat, sive utilitate, quod est verius, adducta, summa vi coepit à me conjugium meum expetere: ac veteris amoris fiducia, tantum animi ad audaciam sumpserat, ut non dubitaret me invito, domum meam ingredi, mihi-que, remotis arbitris, votum suum exponere, ac primo precibus, atque, ut mos est mulierum, lacrimis uti, tum amorem quendam ardentissimum simulare, deinde omnes ad me capiendum blandicias & illecebras adhibere. Hæc, hæc inquam, à meis teterrimis hostibus opera dabatur in primis, neque enim erant obscuræ illorum insidiæ, ut me his artibus ad nequitiam adducerent. Postremo, cum nihil ea
pro-